



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Illvstriss. & Reverendiss. D. D. Alvarode Abranches Episcopo Leriensi, A
Regijs Lusitanicæ Maiestatis consilijs, Carolvs Antonivs Casnedi è
Societate Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)



ILLVSTRISS. & REVERENDISS. D. D.

ALVARO DE ABRANCHES

Episcopo Leriensi,

A Regijs Lusitanicæ Maiestatis consilij,

CAROLVS ANTONIVS CASNEDI

è Societate Jesu.



BSIT à me, Beneficentissime Præsul, absit
malesuada temerariæ mentis cacoethes, quæ
purpuratam Regio sanguine stirpem Tuam, sub-
jectaque fidelibus oculorum testibus virtutum
Tuarum exempla, breuiusculâ inconcinnæ epi-
istolæ periodo, limitare præsumat. Prostant eru-
ditorum oculis, & ineruditorum auribus, cul-
tiores Europæ Historiographi, qui, ut fulgentiorem fastis suis lucem
conciliarent, à clarissimo Abavorum Tuorum genere, lucis aug-
mentum studiosè emendicarunt. Pinguissimâ labore Minervâ ne-
cesse est, qui nesciat, in quo supremæ Nobilitatis fastigio sint In-
clyti Duces de Camiña, & Villa Real, ab Henrico II. Castellæ
Rege, & ab Elisabeth Ferdinandi Lusitanicæ Regis Filiâ procreati.
Nec non celsissimi Duces de Aveyro, à Regio Angliæ Regum sti-
pite derivati, quorum vel una dumtaxat Heroïna Excell. D. Maria
de Alencastro, in Lusitaniâ nata, & in Hispaniam translata, tam
eminent

eminenti Catholica Fidei promovendæ zelo, omnigenæque litteraturæ culturâ florere, ut, eâ auditâ, quemcumque Divini honoris Myltagogum, & severiorum disciplinarum Didascalum, pudeat se Myltagogum; pudeatque, coram eâ, se Didascalum esse. Hi Excell. Matris Tuæ D. Magdalena de Alencastro: Illi verò Excell. Parentis tui, D. Michaelis de Meneſes, Comitis de Valladares, (rerum præclarè gestarum splendore clarissimi) non interruptâ agnationis lineâ, Paterni simul, & Materni sanguinis Proavi. A quibus Tu, Tibique per omnia, vitæ probitate, morum suavitate, animi generositate simillimus Frater Tuus, Excell. D. Comes de Valladares Carolus de Noronha & Meneſes, faustissima Lusitanæ fidei (Castorem dixeris, & Pollucem) prodire: ne ullum, sive in Lusitanæ Regis aulâ, sive in Ecclesiæ Hierarchiâ, Politicæ Christianæ Paradigma in votis foret.

Si tam effusa in Tui ortus aurorâ lucis crepuscula, quid non micantissime lucis in provectiori ætatis Tuæ meridie sperandum? An non fulgentissima lux, indefessum in graviores Theologiæ, & Juris materias studium, quo, vel obscuri nominis homo ditescere, planumque sibi ad omnes dignitates aditum, parare posset? An non candidissima lux, integerrima inter lubricos nobilissimæ adolescentiæ æstus, servata niveis Tuis moribus fides? An non suavissima lux, desponsata excelsæ Tuæ nobilitati comitas, mitissimâ Animæ Tuæ indolem redolens? An non vivacissima lux, profunda Tui demissio, dedocens superbiam superbos, & ad heroicum humilitatis fastigium humiles promovens? An non præsentissima lux, insomnis tuum in gregem sollicitudo, acerrima in larvatas spuriâ Probabilitate, aut Sanctitate opiniones vigilantia; prudentissima in Pastorum, & Confessorum delectu eubulia; insatiabilis in Dei obsequium, Animarumque proventum zelus? Etenim, ut omne Fidelibus tuis animæ, & corporis remedium præsto esset, electis sex (quibuslibet Quadragesimis) è minimâ nostrâ Societate Missionarijs, prodigâ manu de omni etiam non necessario liberaliter instrueris, ne ulla alijs molestia ingeratur, per omnes quamvis contempribiles pagos, excurrere consulis, Christianæ legis rudimenta docendo, adultis concionando, Sacramenta ministrando, irreconciliabiles civium animos Christianâ pace reconciliando, infirmos solando, egenis subministratâ Tuis sumptibus eleemosynâ opitulando, & quidquid humanâ fragilitate deformatum reformando? O quàm ingenua Tui erga minimam Societatem benevolentia! Tu rogando præcipis: illa rogari à Te nescia, parere parata, Tibi parer.

Tu

Tu disponis: ea exequitur. Tu munificentissimus Benefactor: ea tuis obsequijs sine limite mancipata.

Sed quid de providissimâ Tuâ in omne pauperum genus charitate dicturus sum? Dubitari abs dubio, quin abs dubio concludi prudenter potest: malle Te egenum, & inopem esse, ne alij inopes sint. Rem oculis meis testatissimâ subijcio. Ut in hoc florentissimum Lusitanæ Regnum cum Excell. Magno Castellæ, & Legionis Archiralaſso, seu Almiranto, (à cujus confessionibus eram) transmigravi, eo gloriosissimo fine, ut languenti Hispaniæ legitimum, ex Augustissimâ Cæsaris Familiâ, caput restitueret, transire per Leriam, Urbem oppidò amœnam, & elegantem, necesse fuit. Invisi videntur. Nil tamen meam adeo suspendit admirationem, ac quæ in Episcopali Palatio non vidi, & vidi: Nulla in interiori parte peristromata, & aulæ: Nulla pro Episcopi thalamo serica cortina, & culcitra: Nulla pro cubiculorū ornamento suppellex: Nulla supra pavimentum tapezia: Nullæ in parietibus picturæ: Nullæ in mensâ obsoniorum cupediæ: Vix quatuor in honorario famulatu exemplares Ecclesiastici; totidemque præ foribus minores famuli. Ubique egestas, ubique inopia, ubique Christus D. pauper, & nudus. Adeo spectabilia sunt, quæ in superiori Palatii parte non vidi. At in infimis ejusdem atrijs, & aulis residere vidi numerosum Pauperum, Senum, & Valetudinariorum gregem: Vidi fidelium ministrorum copiam, qui collectam pecuniam, servatâ personæ decentiâ, & necessitate, tum Leriæ, tum alibi per totam Diœcesim, liberaliter repartiebantur: Vidi Sartorum, Sutorum, Pistorum, Apothecariorum laudabilem turbam, qui munera sua obeuntes, hi faciliores pro senibus cibos, illi grossiores pro robustis parabant: Hi nudos pedes, illi nudum corpus vestibus operiebant: Hi accurrentibus ex totâ, quin ex alienâ Diœcesi infirmis; illi per Diœcesim sparsis, omne pharmacorum genus, sedulâ arte disponebant. Hæc, & recensitis similia, quæ in infimis Palatii atrijs vidi, & quæ in superioribus non vidi, magnum in me excitaverunt sciendi studium. A quo tam concinna ad Evangelij normam Diœcesis regeretur? Quis illi Præful? Qui Episcopus? An à mortuis ad nos Divus Joannes elemosynarius, aut Divus Thomas de Villanova redierit? Ut mihi excelsa Tui generis origo, & aurea animi Tui indoles innotuit, aucta in me admiratio. Quod, cùm Tu tam ad prodigium splendidus fueris, dum Tuo in Palatio Carolum Tertium hospitem habueris, Regiâ, & non imitabili munificentia eum excipiendo, Tibi uni illiberalissimus, parcissimus, & vix non avarissimus sis. O quàm

ad

ad litteram impleas Christi Domini præceptum, Quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei, Deo! Reges æquæ, ac Pauperes, illos regiè, hos christianè tractando, Tui, Tuorumque ex toto oblivio-
sus, & oblitus. Quæ cum ita sint, patere, gratiosissime Præsul, ut
inter tot infimæ sortis homines, me quoque inter Theologos igno-
tum, misceam. Patere, ut Te conveniam, non ut patrocini-
um Tuum implorem; dedecet enim Te rudium Elucubrationū Mece-
natem esse (præsertim cum earundem patrocini-um à solo Christo
D. Lucis Libro, à cujus dumtaxat pretioso sanguine mei intelle-
ctus, & voluntatis menda emendari queunt, præstolatus sim.) Pa-
tere, inquam, ut toti litterario orbi constet effusa Tui in Societa-
tem, & me benevolentia, & in perenne meæ erga Te observantiæ
symbolum. Vale Præsulum Gemma, Episcoporum Norma, Paupe-
rum Thesaurus, Lusitanicæ Decus.

BENE-